

venit. Spiritum sanctum tamq. columb. pro spiritum tamq. columb. Appropinquabit regnum dei pro appropinquavit. Scio quod sis sanctus dei pro qui sis. In synagogis eorum in omni galilea pro et in omni Galilaea. &c. Glossae Marginum ex Hieronymo et Beda depromptae sunt potissimum, quaedam, uti et interlineares, eadem sunt, quae in Bibliis glossatis supracit. ut adeo mirari fubeat Cl. Lambecium, qui L. II. p. 749. edit. Kollar. col. 526. eas omnes absque discrimine antiquas anonymi cujusdam Autoris Annotationes lectu dignissimas adpellat. Neque illud verius, quod eod. l. affirmat, Scripturam hujus Codicis fere eandem esse, quae cernitur in Epistolis S. Pauli Mariani Scoti propria manu exaratis, et Cod. LVIII. indicatis.

LIV. VI. F. II.

395 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 127. 4. continet Evangelium secundum Lucam caractere luculento exaratum in medio, latus utrinque stipante Glossa Ordinaria minutius scripta, cui inter lineas Textus accedit et altera ab situ vulgo interlinearis adpellata. Praeit, ut in Bibliis Glossatis solet, Hieronymi Prologus, qui incipit: Lucas frater antiochenus arte medicus discipulus apostolorum &c. Evangelii Capita, quae sine Versuum distinctione decurrunt, indiligenter in margine adnotata sunt.

Codici praetexta est membrana idiomate germanico, qua Abbas Chunradus et Conventus ad S. Crucem in Austria infer. vendunt Chunrado Dietrici filio ejusque uxori Catharinae duas vineas in Pfaffsteten, quarum una dicta daz Smaizzl, altera der Hekinger. Der brif ist Geben noch Christus gepurd dreuczechen Hundert iar darnach in dem ains vnd sumfczigisten iar dez Ersten Sunntags in den vier Tagen. Itaque Dom. I. Quadrag. aut, si Ecclesiam sequere, Dom. III. Adv.

LV. VI. H. 2.

Codex chartaceus lat. Sec. 640 XV. Folior. 19. 4. continet IV. Passiones Evangelistarum Matthaei, Marci, Lucae et Johannis. Initium: Passio domini nostri ihesu cristi secundum matheum. In illo tempore dixit ihesus discipulis suis. Scitis quia post biduum &c. Inscriptio Johannis: Passio sine salutatione secundum Johannem, innuit, dum haec Passio feria VI. in Parasceve legitur, ad id, quod in tono Evangelii legendum est, non peti Benedictionem, non deferri Luminaria, neque Incensum &c. ut est in Rituali, secus ac diebus praecedentibus, quibus aliae Passiones leguntur.

LVI. VII. F. X.

Codex chartaceus lat. Sec. 457 XV. Folior. 150. 4. currente calamo scriptus continet Epistolas Pauli, Petri, Johannis, Judae et Ju-